

244 (Q. 162) De Commemorationibus in Occurrentia

regulæ expositæ fuerunt supra, Q. 46; ad eorundem distinctionem præsens Commemoratio vocatur nonnumquam Commemoratio specialis, seu particularis uni alterive Officio, ut ex data definitione jam patet.

Q. 162. *Quibus constat Commemoratio, et in quo Officii loco est facienda?*

R. ad I. Commemoratio constat Antiphona, Versu et Oratione.

Antiphona in Vesperis, vel primis vel secundis, ea sumitur quæ est posita ad Canticum *Magnificat* Officii illius de quo fit Commemoratio; in Laudibus vero, ea quæ posita est ad Canticum *Benedictus*; sunt enim Antiphonæ illæ nobiliores cæteris quæ in his Horis dantur. — Versus sumitur qui sive in Vesperis, sive in Laudibus, respective ponitur post Hymnum. — Oratio ea dicitur quæ Officii cujus Commemoratio fit est propria. (Rubricæ generales, Tit. IX, n. 8.) De Antiphonis et Versibus dicitur latius QQ. 201-208.

His non raro additur Lectio, legenda in Matutino Officii quod integre dicitur; quæ Lectio erit, vel de Homilia Evangelii Dominicæ, Feriæ aut Vigiliæ, quarum Commemoratio peragenda est, et quæ propriam habent Homiliam in suis Officiis assignatam; vel de Sancto cujus Commemoratio fit, modo propriam habeat, seu historicam, aut de sermone proprio; hæcque ex omnibus Lectionibus Sancti propriis, si plures sunt, ad modum unius componitur, scilicet ex duabus vel ex tribus fit una. De hac Lectione dicitur QQ. 214 et 215.

R. ad II. Fit itaque Officii alicujus ob Occurrentiam impediti Commemoratio in sequentibus Horis Officii quod prævalet et integrum dicitur:

1° In Vesperis; scilicet: in primis Vesperis, si Commemoratio instituenda est de Festo simplici; in secundis Vesperis, si de die infra Octavam, de Feriis Adventus et Quadragesimæ; in utrisque Vesperis, si de die Octava, de Dominica, et de Festo duplici ac semiduplici ad modum simplicis redacto Commemoratio fit.

2° In Laudibus; de Festo duplici ac semiduplici ad modum simplicis redacto, de Festo simplici, de Dominica, de Octava, de Feria majori quacumque, et de Vigilia.

De Commemorationibus in Occurrentia (Q. 163) 245

3° In Matutino; legendo, in Officio prævalente quod integrum dicitur, pro nona Lectione Lectionem de Homilia Evangelii, vel de Sancto, ut supra in responso ad I dictum fuit.

In nulla ex aliis Horis Officii prævalentis aliqua fit Commemoratio Officii per Occurrentiam impediti.

Q. 163. *Quænam Officia ob Occurrentiam cum alio prævalente impedita peraguntur sola Commemoratione?*

R. Omnia Officia præter Festa duplicia 1 classis, duplicia 2 classis, duplicia majora (cfr. QQ. 105, 106, 107), et Festa Sanctorum Ecclesiæ Doctorum (cfr. Q. 110).

Consequenter Festa duplicia minora quæ non sunt SS. Doctorum, Festa semiduplicia, Festa simplicia, Dominicæ, Feriæ majores, Vigiliæ, dies infra Octavas, dies Octavæ, quando in Occurrentia cum alio Officio prævalente impediuntur, numquam transferuntur, sed de iis impeditis in diebus eorum propriis fit tantum Commemoratio; modo jus ad Commemorationem non amittant, nam in tali casu penitus omittuntur, ut dicitur in Quæstione sequenti.

NOTA. I. Hæc dicta de Festis duplicibus minoribus et de Festis semiduplicibus sola Commemoratione peragendis, intellige pro casu Occurrentiæ accidentalis (Q. 156); nam bene animadvertendum est, quod in casu Occurrentiæ perpetuæ, quæcumque Festa duplicia minora et semiduplicia impedita jus habent ut eorum Officium integrum dicatur in prima die libera quæ sequitur, in qua ipsa tamquam in sede propria perpetuo recolentur. (Rubricæ generales, Tit. X, n. 1.) De hujusmodi Occurrentia perpetua latius dicitur in § 4 hujus Articuli.

Placet hic loci jam exemplum ponere relative ad hanc animadversionem. Sancta Sedes statuit ab anno 1903 celebrandum esse Festum duplex S. Joannis Baptistæ de la Salle, Confessoris, 15 Maji; in Archidiocesi Mechliniensi vero eadem die 15 Maji jam celebratur Festum duplex S. Dymphnæ, Virginis et Martyris, quod prævalet et celebrandum retinetur die 15 Maji. Festum S. Joannis ergo quotannis impeditur in die 15 Maji, ob Occurrentiam perpetuam cum Festo S. Dymphnæ; quia hæc Occurrentia est perpetua, ideo non sufficit quotannis Commemorationem tantum peragere in die 15 Maji Officii S. Joannis,



sed integrum ejus Officium reponendum fuit in prima die libera, quæ in Calendario Mechliniensi reperta fuit 22 Maji, et quæ ab Archiepiscopo Mechliniensi statuta fuit tamquam dies fixa, in qua perpetuo integrum dicitur Officium S. Joannis.

Sed in variis locis et Ecclesiis Diœcesis dies 22 Maji etiam non est libera; ubi, ex. gr., S. Servatius, Confessor et Pontifex, cujus Festum celebratur 13 Maji, est Patronus loci aut Titularis Ecclesiæ ante annum 1903, ejus dies Octava celebratur 20 Maji, ex qua die reponendum fuit Officium S. Bernardini Senensis, Confessoris, hoc Officium in his locis et Ecclesiis dicitur jam die 22 Maji, quæ est dies fixa; ex regulis postea exponendis patet diem 22 Maji esse retinendam ibi pro Officio S. Bernardini, et pro Officio S. Joannis Baptistæ de la Salle requirendam ulterius esse primam diem liberam; hæc reperitur die sequenti, 23 Maji, et Archiepiscopi est pro his locis et Ecclesiis statuere hanc diem tamquam diem fixam in qua ibi perpetuo dicitur Officium integrum S. Joannis.

NOTA. II. Dicitur in responso Officia Dominicæ et Vigilæ numquam transferri; attamen, ad Quæstionem 124, dictum fuit Officium Dominicæ aliquando anticipari in hebdomada, et ad Quæstionem 136, Officium Vigilæ in Dominica die occurrentis anticipari in Sabato; hæc alio sensu et alia de causa quam ex Occurrentia fieri patet.

NOTA. III. Quæ in hoc responso datur regula pro Officiis in Occurrentia per solam Commemorationem peragendis, non convenit cum regula in ipsis Rubricis Breviarii et in auctoribus tradita ante annum 1882. Etenim antea quodcumque Festum novem Lectionum, id est, duplex aut semiduplex, impeditum per Occurrentiam, jus habebat ad Officium integrum, et transferbatur in primam sequentem diem liberam.

Verum, per Breve Apostolicum 28 Julii 1882 (Decret. n. 3551, antiq. 5846), quo SS. D. Leo XIII plura Sanctorum Officia in Calendario universali inseri jussit, idem SS. D., ut in Calendario habeantur plures sedes liberæ ad nova Officia introducenda, voluit Apostolica auctoritate sua, ut Rubrica generalis Breviarii, Tit. X, hac ratione mutetur, videlicet:

« Festa duplicia minora (exceptis illis Sanctorum Ecclesiæ Doctorum) et Festa semiduplicia, si occursu Dominicæ, vel majoris Festi seu Officii quomodocumque impediuntur, non transferuntur, sed ipso die quo

cadunt, de eis fit in utrisque Vesperis et Laudibus Commemoratio, cum nona Lectione historica, sive una ex duabus aut tribus, si tamen hæc eo die fieri possint; secus, hujusmodi Festa duplicia et semiduplicia eo anno penitus omittuntur, ut de Simplici cautum est in Rubricis, Tit. IX, num. X, et Tit. X, num. VIII. » Insuper SS. D. voluit ut Litteræ Apostolicæ, hanc Rubricæ mutationem instituentes, in novis editionibus Breviarii ad calcem Rubricæ interim apponantur, donec accurata Rubricæ ipsius correctio per S. Rituum Congregationem perficiatur.

Quam correctionem cum S. Rituum Congregatio feliciter in finem perduxerit, et permiserit, ut Rubricæ reformatæ cum textu authentico in lucem emitterentur, anno 1883 editæ fuerunt Rubricæ generales et speciales Breviarii et Missalis Romani reformatæ, eæque solæ in posterum in novis editionibus horum librorum liturgicorum imprimi possunt.

Satis intelligitur, quanta exinde supervenerit faciendæ mutatio, in ipsis Rubricis generalibus et particularibus Breviarii, et in auctoribus qui ea de re scripserunt ante annum 1882.

Q. 164. *An Officia supradicta, quæ Commemoratione peraguntur in casu impedimenti ex Occurrentia, nonnumquam jus ad Commemorationem amittunt, ita ut penitus omittantur?*

R. Affirmative; jus ad Commemorationem possunt amittere, ob excellentiam illius Officii quocum occurrunt et quod dicitur. Nimirum:

1<sup>o</sup> Festa duplicia et semiduplicia ad instar Simplicis redacta penitus omittuntur, nulla de eis facta Commemoratione, in omnibus Festis duplicibus primæ classis. — Attamen, in Vesperis secundis Duplicium primæ classis debet fieri Commemoratio Festi ad modum Simplicis redacti quod occurrit sequenti die et cujus Commemoratio eadem die faciendæ erit; ex. gr., si in Feria IV infra Octavam Paschatis aut Pentecostes occurrit aliquod Festum duplex aut semiduplex, ejus fiet tantum Commemoratio; sed hæc jam poterit fieri pro primis ejus Vesperis, in secundis Vesperis Feriæ III



248 (Q. 164) De Commemorationibus in Occurrentia

infra Octavam Paschatis aut Pentecostes, etiamsi hæc sit duplex primæ classis.

Exempla quotannis in Directorio dantur diversa, ratione mobilitatis Festorum Paschatis et Pentecostes; sint inter alia sequentia :

In Calendario fixo Sanctorum notantur Festa :

7 Maji, S. Stanislai, Episcopi et Martyris, duplex ;

17 Maji, S. Paschalis Baylon, Confessoris, duplex ;

18 Maji, S. Venantii, Martyris, duplex ;

19 Maji, S. Petri Cœlestini, Papæ et Confessoris, duplex ;

20 Maji, S. Bernardini Senensis, Confessoris, semiduplex.

Quando Pascha celebratur 29 Martii, tunc occurrunt : 7 Maji, Festum Ascensionis Domini ; — 17 Maji, Festum Pentecostes ; — 18 Maji, Feria II de Octava Pentecostes ; — 19 Maji, Feria III de Octava Pentecostes ; hæc omnia Festa sunt duplicia 1 classis ; ergo omittentur penitus, nequidem facta Commemoratione, Festa SS. Stanislai, Paschalis, Venantii, Petri Cœlestini. — Attamen, 19 Maji, in secundis Vesperis Feriæ III de Octava Pentecostes, quæ rejecit Commemorationem S. Petri Cœlestini, jam fiet Commemoratio S. Bernardini Senensis, quia de eo sequenti die, 20 Maji, Feria IV de Octava Pentecostes, quæ ritus est semiduplex, fieri valet Commemoratio.

2<sup>o</sup> Festum simplex, et Vigilia minor penitus omittuntur in quocumque Festo duplici primæ classis ; in Duplici secundæ classis vero, Simplicis tantum fit Commemoratio in Laudibus, non in Vesperis.

Exempla : 6 Februarii, in Festo duplici S. Amandi, Episcopi et Confessoris, occurrit Festum simplex S. Dorotheæ, Virginis et Martyris ; 11 Novembris, in Festo duplici S. Martini, Episcopi et Confessoris, occurrit Festum simplex S. Mennæ, Martyris ; S. Dorotheæ et S. Mennæ præscribitur in Directorio Commemoratio in primis Vesperis et in Laudibus ; sed ubi S. Amandus, aut S. Martinus sunt Patroni loci, aut Titulares Ecclesiæ, Festa eorum sunt duplicia 1 classis, et S. Dorotheæ ac S. Mennæ omittentur Commemoratio.

Die 12 Julii celebratur Festum duplex S. Joannis Gualberti, Abbatis, et fit Commemoratio occurrentis Festi simplicis SS. Naboris et Felicis, Martyrum, in Vesperis primis et in Laudibus ; anno 1903, occurrit hac die in Calendario Archidiocesis Mechliniensis Festum duplex 2 classis S. Liberti, Martyris, celebrandum Dominica II Julii ; S. Joannis, duplicis simplicis, fiet quidem Commemoratio in utrisque Vesperis et in Laudibus ; SS. Naboris et Felicis autem fiet tantum Commemoratio in Laudibus.

3<sup>o</sup> Dies infra Octavam communem non habent Commemorationem in quocumque Festo duplici primæ vel

De Commemorationibus in Occurrentia (Q. 164) 249

secundæ classis. Attamen in secundis Vesperis Festi duplicis secundæ classis admittitur Commemoratio hujusmodi diei infra Octavam, si de ea dicitur Officium die sequenti.

Exemplum : Anno 1903, die 2 Julii, in Festo Visitationis B. M. V., duplici 2 classis, omisa penitus in Officio hujus Festi Commemoratione utriusque Octavæ, tum SS. Apostolorum Petri et Pauli in Ecclesia universali, tum S. Rumoldi in Diocesi Mechliniensi occurrentibus, in secundis Vesperis hujus Festi tamen admittitur Commemoratio Octavæ SS. Apostolorum, cujus sequenti die, 3 Julii, dicitur per Diocesim Officium, omisa adhuc penitus Commemoratione Octavæ S. Rumoldi.

Remanent itaque Officia Dominicæ cujuscumque, Feriæ majoris, et diei Octavæ, de quibus impeditis semper fit Commemoratio.

Exempla : Festum Patrocinii S. Joseph, quod in nostra Diocesi celebratur ritu duplici 1 classis, etiamsi rejiciat Commemorationem Festi duplicis minoris si occurrat, admittit tamen Commemorationem Dominicæ III post Pascha, in qua celebratur, in Vesperis, in Matutino et in Laudibus.

Festa S. Joseph, 19 Martii, et Immaculatæ Conceptionis B. M. V., 8 Decembris, debent admittere Commemorationem Feriæ majoris in qua celebrantur respective in Quadragesima, et in Adventu.

Festum S. Rumoldi, 1 Julii, in nostra Diocesi duplex 1 classis, admittit Commemorationem diei Octavæ S. Joannis Baptistæ in Vesperis et in Laudibus.

NOTA. I. Animadvertendum est, in præsentis paragrapho tradi regulas tantum pro Occurrentia Officiorum, et pro his regulis tantum dari exempla ; nonnumquam autem Officia, quæ jus habent ad Commemorationem in Vesperis ratione Occurrentiæ, posse jus istud in Vesperis amittere propter Concurrentiam, de qua in Capite II agitur.

NOTA. II. Aliquando etiam ratione identitatis omittenda erit Commemoratio ; ex. gr., hac de causa omittitur Commemoratio Octavæ Nativitatis B. Mariæ V., et quidem diei Octavæ, in Festo SS. Nominis B. Mariæ V., quod celebratur Dominica infra Octavam Nativitatis. (Cfr. Rubrica specialis hujus Festi.) Ob eandem rationem rescripsit S. Rituum Congregatio, quod, si in Vigilia Assumptionis B. Mariæ V. de aliquo ejus-



250 (Q. 165) De Commemorationibus in Occurrentia

dem Virginis Festo esset alicubi agendum, omittenda sit Commemoratio Vigilæ. (Decret. 20 Junii 1899, n. 4037, ad 2.)

NOTA. III. De Festis « ad libitum » jam dictum fuit (Q. 115), quando impediuntur, de ipsis nequidem fieri Commemorationem, sed ipsa omnino tunc omitti.

Q. 165. *Quis ordo servandus est inter Commemorationes quando plures in uno Officio faciendæ sunt ?*

R. Prænotatur quod in Laudibus et Vesperis, dicta, Antiphona post *Benedictus* et *Magnificat*, semper primo loco dicitur Oratio propria Officii, nempe in Laudibus ejus de quo dictæ fuerunt Laudes, in Vesperis vero ejus de quo dictæ fuerunt Vesperæ integræ vel a Capitulo. Huic primæ Orationi præponitur: *Dominus vobiscum*, et *Oremus*, et hæc concluditur sub sua conclusione. Deinde fiunt Commemorationes singulæ per Antiphonam, Versum et Orationem (cfr. Q. 162), cui Orationi etiam præponitur *Oremus*; sed istæ Commemorationes, quotquot etiam sint, non concluduntur nisi in ultima Oratione. (Cfr. Q. 43.)

Hoc prænotato, respondetur quod in Occurrentia diversorum Officiorum pro Commemorationum ordine servatur regula, ut de illo prius Commemoratio agatur, de quo Officium, secluso impedimento, persolveretur. Unde sequens ordo servabitur (cfr. Rubricæ generales, Tit. IX, n. 11):

1° De Dominica privilegiata seu majori secundæ classis;

2° de die Octava;

3° de Duplici quod agitur tamquam simplex;

4° de Dominica communi per annum;

5° de die infra Octavam SS. Corporis Christi;

6° de Semiduplici quod agitur tamquam simplex;

7° de die infra Octavam communem;

8° de Feria majori;

9° de Vigilia;

10° de Sancto cujus Festum per se simplex est.

Quod si in aliquo Officio dicendæ sint Commemorationes communes, istæ dicuntur semper post prædictas omnes Commemorationes speciales. (Cfr. QQ. 46, 161.)

De Commemorationibus in Occurrentia (Q. 165) 251

NOTA. Quædam hic loci animadvertenda sunt circa nonnullas Commemorationes omnino particulares, quæ extra ordinem Officii aliquando dicendæ sunt.

I. In Rubricis particularibus Festorum S. Petri Apostoli, et S. Pauli Apostoli, semper notatur quod in Vesperis et Laudibus Officii unius Commemoratio faciendæ est alterius; nempe in Officiis Festorum S. Petri fit Commemoratio S. Pauli, et in Officiis Festorum S. Pauli fit Commemoratio S. Petri; et fit quidem hæc Commemoratio particularis immediate post Orationem substantialem Officii, ante alias quascumque etiam ad Officium pertinentes; sub altera tamen conclusione cum Commemorationibus specialibus si dicendæ sunt. (Cfr. Proprium Sanctorum in Breviario, in Festis Cathedralæ S. Petri Romæ, 18 Januarii; Cathedralæ S. Petri Antiochiæ, 22 Februarii; S. Petri ad Vincula, 1 Augusti; Conversionis S. Pauli, 25 Januarii; Commemorationis S. Pauli, 30 Junii.) — In Festo autem utriusque Apostoli, 29 Junii, neutrius fit Commemoratio, quia, licet proprium Officii (et etiam Missæ) sit specialiter de S. Petro, Oratio tamen est communis utique, S. Petro scilicet et S. Paulo, ut dicit Rubrica specialis hujus Festi.

II. Idem dicendum est de Commemoratione particulari S. Joseph, in Festo Desponsationis B. Mariæ V. (23 Januarii, in Appendice Breviarii et Missalis), ubi hoc Festum celebratur; etenim Commemoratio S. Joseph dicitur ante alias quascumque, primo loco post Orationem Festi Desponsationis, sub altera tamen conclusione. — Sed animadvertendum est, hanc S. Joseph Commemorationem non debere fieri vi Rubricæ, sicut supradictæ de Sanctis Petro et Paulo; imo ipsam non posse fieri in hoc Festo Desponsationis, nisi constet de speciali ejusdem Commemorationis concessione, uti declaravit S. Rituum Congregatio (Decret. 5 Maji 1736, n. 2319, antiq. 4044, ad Tit. IX). — In nostra Diœcesi, ubi Festum jam celebratur a sæculo XVIII, Indultum pro Commemoratione S. Joseph concessum fuit 11 Martii 1875. (Cfr. Directorium anni 1876.)

III. Dantur etiam duæ Commemorationes particulares sequentes, nempe Commemoratio Omnium SS.



Apostolorum, quæ fit in Festo SS. Apostolorum Petri et Pauli (29 Junii), et Commemoratio Omnium SS. Martyrum, quæ fit in Festo S. Stephani Protomartyris (26 Decembris). Istæ Commemorationes, de quibus in Rubricis nihil habetur, fuerunt præscriptæ, per Breve Clementis XIV, 22 Junii 1771, Archidiœcesi Mechliniensi, Austriacæ ditioni tunc temporis subjectæ, occasione abrogationis, quoad feriacionem, nonnullorum Festorum SS. Apostolorum et SS. Martyrum; ut fideles aliquo modo eorum memoriam servent, ac venerentur. (Cfr. Synodicum Belgicum, Tom. II. pag. 507.) Idem præscriptum fuit, per Indultum pro reductione Festorum, 9 Aprilis 1802, pro toto territorio Reipublicæ Gallicanæ. (Cfr. Collectio Epistolarum Pastoralium Diœcesis Mechliniensis, Tom. I, pag. 45.) — S. Rituum Congregatio rescripsit istas Commemorationes esse faciendas, non immediate post Orationem Festorum in quibus fiunt, sed post Commemorationes speciales occurrentes. (Decret. 31 Augusti 1867, n. 3157, ad 12, antiq. 5381, ad 14.) Itaque Commemoratio Omnium SS. Apostolorum fiet post Commemorationem Dominicæ, quoties Festum SS. Petri et Pauli occurrit in Dominica (ut factum fuit anno 1902); et Commemoratio Omnium SS. Martyrum in Festo S. Stephani Protomartyris fiet post Commemorationem Octavæ Nativitatis Domini. — In Appendice Breviarii reperiuntur diversæ Commemorationes pro SS. Apostolis et SS. Martyribus, quia diversæ fuerunt a Sancta Sede concessæ pro diversis locis; sumendæ sunt Antiphonæ, Versus et Orationes quotannis in Directorio seu Ordine Officiorum indicatæ, quæ pro nostra Diœcesi præscriptæ fuerunt.

## Causus Occurrentiæ

Antequam ad ulteriora progrediamur, proponuntur hic aliqui casus Occurrentiæ, ut alumni, iis se exercendo, magis perspectas habeant regulas hucusque traditas, et expeditior sit via ad sequentia. Supponitur Pascha celebrari 10 Aprilis, et Litteram Dominicalem esse B.

Q. 166. *Resolve sequentes casus Occurrentiæ, et da pro singulo casu rationes solutionis.*

*I. Die 4 Aprilis occurrit Festum duplex S. Isidori, Episcopi, Confessoris et Ecclesiæ Doctoris; 5 Aprilis occurrit Festum duplex S. Julianæ, Virginis; sed simul eadem dies sunt Feriæ 2 et 3 majoris Hebdomadæ. Quæritur: quodnam Officium alteri prævalebit in his duabus diebus, et quid de altero est faciendum?*

**Solutio.** Die 4 Aprilis fiet Officium de Feria 2 majoris Hebdomadæ, alterum vero Festum S. Isidori transferretur. Etenim Feriæ Hebdomadæ sanctæ sunt maxime privilegiatæ (QQ. 128, 130); primum occupant locum in Tabella prælationis Officiorum (Q. 159); dum e contra Festum duplex minus quale est Festum S. Isidori, septimo tantum loco in ea ponitur. Præfertur ergo Officium Feriæ, et Festum S. Isidori, etsi tantum duplex minus quia tamen est Festum alicujus Ecclesiæ Doctoris (Q. 110), transferretur.

Die 5 Aprilis, propter idem motivum Officium Feriæ 3 Hebdomadæ sanctæ præfertur Festo duplici minori S. Julianæ; verum quia hoc Festum est tantum duplex minus, non transferretur, sed reducitur ad modum Simplicis (Q. 163), ejusque fit tantum Commemoratio pro primis Vesperis die 4 Aprilis, pro Laudibus ac secundis Vesperis die 5 Aprilis. (Q. 162, ad II.)

*II. Die 16 Januarii occurrit in Calendario Festum S. Marcelli, Papæ et Martyris, semiduplex; sed simul eadem dies habet assignatam litteram B. Dominicalem, et est Dominica II post Epiphaniam; hac vero Dominica celebratur Festum duplex 2 classis SS. Nominis Jesu.*

**Solutio.** Tria jam hic occurrunt Officia, quorum Festum semiduplex S. Marcelli minoris est momenti: ponitur enim in ordine Tabellæ (Q. 159) loco 9°; præcedit Dominica communis posita 8° loco: ideo certe jam erit reducendum ad instar Simplicis Officium Festi semiduplicis S. Marcelli (Q. 163), cujus fiet Commemoratio in utrisque Vesperis et in Laudibus (Q. 162, ad II); sed et ipsa Dominica debet cedere locum Officio Festi duplicis 2 classis SS. Nominis Jesu, posito in Tabella 4° loco; igitur Officium integrum dicetur de hoc Festo, et instituetur in utrisque Vesperis et in



Laudibus hujus Officii Commemoratio, primo Dominicæ, dein Festi semiduplicis ad instar Simplicis redacti. Nona Lectio in Matutino legetur de Homilia ex tertio Nocturno Officii Dominicæ (Q. 162).

*III. Die 6 Februarii adscribitur in Calendario Diocesano Festum S. Amandi, Episcopi et Confessoris, duplex, et in Calendario Romano Festum simplex S. Dorotheæ, Virginis et Martyris; simul occurrit Dominica in Septuagesima.*

**Solutio.** Dominica hæc dicta in Septuagesima habet quidem Officium ritus semiduplicis tantum, sed est hæc Dominica una ex privilegiatis 2 classis; ideo certe præferetur ejus Officium Officio etsi duplici S. Amandi; venit etenim in Tabella (Q. 159) ordine tertia, Festum duplex vero ordine septimum. Festum S. Amandi reductetur ad instar Simplicis (Q. 163), ejusque fiet Commemoratio in utrisque Vesperis et in Laudibus. Festi simplicis S. Dorotheæ instituetur Commemoratio tantum in primis Vesperis et in Laudibus, non in secundis Vesperis, quia eas non habet (Q. 102).

— *Sed supponatur S. Amandum esse alicubi, vel Patrum loci, vel Titularem Ecclesiæ.*

**Solutio.** Tunc Festum S. Amandi ibi celebrabitur ritu duplici 1 classis (Q. 106) cum Octava (Q. 141); inspecta Tabella (Q. 159), animadvertitur statim ejus Officium ibi esse præferendum Officio Dominicæ in Septuagesima; hæc enim tertio, illud vero secundo loco assignatur. Itaque dicetur Officium Festi duplicis 1 classis S. Amandi, cum Commemoratione Dominicæ in utrisque Vesperis et in Laudibus, ejusque Homiliæ Lectione nona (Q. 119); de Festo simplici S. Dorotheæ nihil fit (Q. 164).

*IV. Die 18 Martii adscribitur in Calendario particulari pro aliquibus locis, in Appendice Breviarii, Festum duplex majus S. Gabrielis Archangeli; simul hac die, quæ est Feria VI post Dominicam III in Quadragesima, itaque Feria major, occurrit Officium itidem duplex majus SS. Quinque Vulnerum D. N. J. C., concessum Diœcesi Mechliniensi per Indultum 28 Julii 1874.*

**Solutio.** Tria occurrunt Officia: Feria major Quadragesimæ, Festum duplex majus S. Gabrielis Archangeli, et Officium duplex majus SS. Quinque vulnerum D. N. J. C.

Officia seu Festa Mysteriorum et Instrumentorum Dominicæ Passionis, quæ celebrantur Feriis tertiis post Dominicas Septuagesimæ et Sexagesimæ, et Feriis sextis post Cineres et post Dominicas quatuor Quadragesimæ (indicantur Q. 107 sub nn. 26 ad 32), hisce diebus recitanda sunt ita ut « non possint amandari ad aliam diem, et intra Quadragesimam tantum, nisi occurrente Officio potioris ritus. » (Decret. S. Rituum Congregationis, 6 Augusti 1831, Urbis.) Implicata erat antehac quæstio de præeinentia hujusmodi Officiorum super primariis Festis Sanctorum ejusdem ritus duplicis majoris; et ipsa S. Rituum Congregatio in casibus particularibus non eandem semper dederat solutionem. Ex quo autem S. Rituum Congregatio, per Decretum 27 Junii-2 Julii 1893 (n. 3808), declaravit hujusmodi Officia seu Festa, utpote secundaria (Q. 108), cedere locum Festis primariis (Q. 160), quale est Festum S. Gabrielis (Q. 108); et ipse Summus Pontifex Leo XIII abrogavit penitus quæcumque Rescripta seu Decreta anteriora in contrarium facientia, omne dubium evanuit, et quæ hucusque in contrarium datæ fuerunt solutiones reformandæ sunt.

Igitur Festum S. Gabrielis Archangeli, primum, celebrabitur hac Feria VI, die 18 Martii; et Officium SS. Quinque vulnerum D. N. J. C., etsi personæ dignioris, cum sit secundarium, locum cedit; quia vero utpote duplex majus requirit Officium integrum, transferetur in aliam diem liberam, si talis intra Quadragesimam detur. Libera autem est in Calendario Archidiœcesis Mechliniensis dies 23 Martii, Feria IV sequentis hebdomadæ IV in Quadragesima.

Feriæ Quadragesimæ cum sint majores (Q. 128), jus habent ut semper de eis fiat Commemoratio (Q. 130); ideo die 18 Martii fiet Feriæ Commemoratio in Laudibus ac Vesperis, et dicetur nona Lectio in Matutino de ejus Homilia.